



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 3. De Noeto, Sabellio, & Ario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Tertulliano teste eodem lib. cap. 51. Introducit in-
tia duo, idest, duos deos, unum bonum & alterum
sævum. Bonum superiorem, sævum huius Mundi
Creatorem... superioris Dei Filium Christum venisse
tractat, hunc in substantia carnis negat, in phantaf-
mate solo fuisse pronunciat: nec omnino passum, sed
quasi passum; nec ex virgine natum, sed omnino nec
natum. Post hunc autem Cerdonem, discipulum ipsius
emerfit Marcion, Ponticus genere, Episcopi filius;
propter stuprum cuiusdam virginis ab Ecclesia com-
municatione abiectus.... heresim Cerdonis approbare
conatus est; Et ut refert Philastrius in Catal. 2. c. 17.
Similiter unum Deum bonum, & unum malum an-
nunciavit, Christum putativè apparuisse, idest, quasi
per umbram, & passum eum fuisse umbratilitèr, non
tamen in vera carne credebatur.

Subsequitur Lucanus quidam nomine, Marcionis
seclator atque discipulus, qui eadem docuit quæ Mar-
cion & Cerdon docuerant: Lucanum verò Apelles,
discipulus pariter Marcionis. Hic autem Christum
neque in phantasmate (dicebat) fuisse sicut Marcion,
neque in substantia veri corporis, ut Evangelium do-
cet, sed in eo quod è superioribus partibus descende-
ret, ipso descensu fideream sibi carnem, ut aeream
contextuisse: hunc (Christum) in resurrectione singu-
lis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutuata
fuissent, in ascensu reddidisse, & sic dispersis quibus-
que corporis sui partibus, in Cælo spiritum tantum
reddidisse.

His omnibus subijcimus Manichæos, sic dictos ab
auctore suo Manete, quorum insanos errores fusè
exponit Augustinus lib. de heres. num. 46. ubi hæc
inter alia de Manichæis narrat: Christum autem fuisse
affirmant, quem dicit nostra scriptura serpentem, à
quo illuminatos eos asserunt (Adam & Evam) ut co-
gnitionis oculos aperirent, & bonum malumque digno-
scerent; eumque Christum novissimis temporibus venisse
ad animas, non ad corpora, liberandas. Nec fuisse
in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludifi-
candis humanis sensibus præbuisse, ubi non solum mor-
tem, verum etiam resurrectionem mentiretur.

Agmen claudunt Priscillianistæ, de quibus sic lo-
quitur S. Leo epist. 93. ad Turribium cap. 4. Chri-
stum Dominum in vera hominis natura natum esse
non credunt, sed per quandam illusionem ostentata
videri volunt, quæ vera non fuerint; sequentes dog-
ma Cerdonis atque Marcionis, & cognatis suis Ma-
nichæis per omnia concordantes. Unde jejunabant die,
quo Christi Nativitas celebrabatur, sicut & die do-
minico, qui est dies resurrectionis Christi, ut ibi-
dem observat S. Leo.

ARTICULUS III.

De Noeto, Sabellio, & Ario.

§. I.

De Noeto & Sabellio.

NOETUS cum doceret unicam esse divinitatis
hypostasim, adeoque unicam esse in Deo
personam, quæ modò Pater, modò Filius, modò
Spiritus S. prout diversa obit munia, nuncupatur,
consequenter ausus est asserere Patrem incarnatum,
passum, & mortuum esse, ut refert Philastrius in
Catal. 3. cap. 6. Epiphanius heres. 57. num. 1. Au-
gustinus lib. de heres. n. 36. & Theodoretus lib. 3.
heres. fab. cap. 3. ubi Noeti & Noetianorum doctri-
nam sic exponit: Unum dicunt esse Deum (non so-
lum natura, sed etiam hypostasi) & Patrem omnium
opificem, latentem quidem quando voluerit, rursus au-
tem apparentem, quando placuerit, & eundem esse
invisibilem & videri, & genitum & ingentum, in-
genitum quidem ab initio, genitum autem quando na-
sci voluit ex virgine, impassibilem & immortalem;
rursus passibilem & mortalem. Cum enim esset impas-

sibilis, crucis, inquit, passionem sua sponte sustinuit.
Eum & Patrem & Filium nominant, prout usus exe-
gerit, vel hoc vel illud appellantes. Hinc Noetiani
Partipassiani nuncupati sunt.

2. Sabellius Noeto planè assensus est, si credimus
Philastrio in Catal. 3. cap. 7. ubi sic ait: Sabellius
post illum (Noetum) de Lybia discipulus ejus, si-
militudinem sui doctoris itidem secutus est & errorem,
unde (Noetiani) & Sabelliani postea sunt appellati,
qui & Partipassiani, & Praxiani à Praxeæ, & Her-
mogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Africa.
Philastrio consentit Theodoretus lib. 2. heres. fab.
cap. 10. ubi sic exponit heresim Sabellii: Dicebat
Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unam esse
hypostasim, & unam personam, quæ tria habet nomi-
na, & eundem aliquando quidem vocat ut Patrem,
aliquando autem ut Filium, aliquando verò ut Spi-
ritum Sanctum, & in veteri quidem testamento, ut
Patrem legem tulisse, in novo autem ut Filium homi-
nem factum esse: ut Spiritum autem sanctum ad A-
postolos venisse. Unde juxta Theodoretum, Sabellius
non propter distinctas hypostasim, vel etiam distin-
ctas energias, sed propter diversos tantum effectus,
diversa nomina Patris, & Filii, & Spiritus Sancti
Deo attribuebat: Patris quidem, cum tulit legem
veterem, quia legem ferre actus auctoritatis est; Fi-
lii, cum incarnatus est, quia gigni filiorum est; &
Spiritus Sancti, cum descendit in Apostolos, ut in
eis ignem charitatis accenderet, quia ignem accen-
dere immitti Spiritus proprium est.

Philastrio & Theodoro consonat Augustinus lib.
de heres. num. 41. ubi sic loquitur: Sabelliani ab
illo Noeto, quem supra memoravimus, defluxisse di-
cuntur. Nam & discipulum ejus quidam perhibent
fuisse Sabellium, sed qua causa duas hereses Epi-
phanii compute, nescio: cum fieri potuisse videa-
mus, ut fuerit Sabellius iste famosior, & ideo ex illo
celebrius hæc heresis nomen accepit.... Unde ergo
sit factum, ut Noetianos & Sabellianos non unius
heresis duo nomina, sed tanquam duas hereses supra-
dictus Episcopus poneret, liquido invenire non potuit
... Loco quippe isto, quo & non tam longè à Noe-
tiani Sabellianos commemorans: Sabelliani, inquit,
familia Noeto dogmatizantes, præter hoc quod di-
cunt Patrem non esse passum; Quomodo de Sabel-
liani intelligi potest, cum sic innoverit dicere Pa-
trem passum, ut Partipassiani, quam Sabelliani, cre-
brius nuncupentur: ... Quomodo possunt intelligi qui-
libet eorum Patrem passum fuisse non dicere, cum di-
cant eundem ipsum esse & Patrem, & Filium, &
Spiritus sanctum?

Augustinus igitur nullum inter Noeti dogma &
dogma Sabellii discrimen agnovit, sensitque unam
& eandem esse utriusque heresim, quæ Noetiana à
Noeto, Sabelliana à Sabellio nuncupata est; sicut
& Praxeana à Praxeæ, & Hermogeniana ab Her-
mogene fuit ab aliquibus vocitata. Contra Epipha-
nium insuper contendit, dici non posse Sabellium
in eo discrepasse à Noeto, quod hic, non ille, Pa-
trem passum esse diceret. Quod probat 1. ex eo
quod tam Sabelliani Partipassiani nuncupati fuerint,
quam Noetiani. Ex eo quod tam Sabelliani, quam
Noetiani, dixerint eundem ipsum esse & Patrem,
& Filium, & Spiritum Sanctum. Unde loco cita-
to vellicat Philastrium, quod Noetianos, & Sabel-
lianos sub duobus numeris tanquam duas hereses po-
suerit.

His non obstantibus, post Epiphanium dicere ma-
luimus in tract. de Trinit. disp. 1. art. 1. Sabellium
partim consensisse cum Noeto, partim dissensisse;
consensisse quidem, unicam asserendo Dei hyposta-
sim, seu personam per se subsistentem; dissensisse ve-
rò, in Deo præter unam hypostasim, & quandam
huius hypostasice formam, ponendo duas energias,
seu virtutes, non per se, sed in illa hypostasi & per
illam subsistentes: sicut in sole v. gr. schola Peripa-
tetica præter substantiam solarem per se existentem,
& ejus figuram orbicularem, admittit duas energias,
nem.

anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt. Nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re aliquando fuisse certatum. Sed hoc verum esse & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum scriptis & collationibus certissime comperi.

Porro Arianorum dogma primarium & palmare, in quo proinde notissimi fuere, ut ibidem dicit Augustinus, fuit quod Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum nollent esse unius ejusdemque naturae atque substantiae sed esse Filium creaturam, Spiritum vero sanctum creaturam, hoc est, ab ipso Filio creatum vellent. Cujus erroris conspectum quoddam fuit & velut appendicula error alius, quo voluerunt Verbum in utero Virginis assumpsisse corpus inanimatum, in eoque animae vices egisse. Et verò hoc voluerunt, ut ea quae in Scriptura dicuntur de Christo ut homine, ipsimet Verbo secundum se sumpto attribuire possent, & sic possent elevare divinitatem Verbi, eamque minorem divinitate Patris ostendere, ac proinde Verbum eo tantum sensu Deum dici posse, quod sit creaturarum omnium praestantissima, esseque naturam & essentiam à natura & essentia Patris planè diversam.

Observat hoc Epiphanius haeres. 69. num. 19. pag. 743. ubi sic loquitur de Arianis: *Negant insuper humana illum anima praeclitum fuisse, quod certo consilio ita praestruunt, ut veram ex Maria Virgine carnem, reliquaque quae sunt hominis propria, illum accepisse fateantur, si unam animam excipias: nimirum ut cum famem, aut sitim, aut labores, itinera, sudorem, somnium, indignationem audieris, ac dixeris, propter humanam quam assumpsit naturam opus illis habuisse, statim obijcere possint, per sese hac prestare carnem, nisi anima praeclita sit, non posse. Et quidem verè hoc ab illis dicitur. Quid est igitur, inquirunt, aliud, quam quod his omnibus illius divinitas indigeat? Ut cum indigere divinitatem ipsius dixerint, velut peregrinum eundem pronuncient, & à Patris essentia ac natura prorsus alienum. Idem notat Gregorius Nyssenus orat. 1. contra Eunomium pag. 55.*

Cum igitur Arius cum suis contra sanctissimam Trinitatem fureret precipue, praecipue oppugnando Verbi divinitatem, qui contra Arianos scripserunt Doctores orthodoxi, toti ferè versati sunt in asserenda divinitate Verbi: sicut & in id unum intenti fuerunt vindicasse, cum ad id unum convenisset. Sic postea quamvis Nestorius erraret non solum circa Incarnationem, sed etiam circa Spiritus sancti processionem, negando eum à Filio procedere, prioris erroris, dissimulato altero, proscriptioe contenta fuit Synodus Ephesina; cum ad hoc tantum convocata esset, ut catholicam de unione Verbi cum natura humana ab eo assumpta doctrinam declararet.

ARTICULUS IV.

De Apollinaristis.

§. I.

DUO fuere Apollinares, pater scilicet & filius. Primus Alexandria oriundus, professione grammaticus, cum Beriti primum docuisset, Laodiceam commigravit, ubi duxit uxorem, & ex ea suscepit filium, quem cognominavit Apollinarem. Hic cum in adolescentia humanioribus litteris operam impigre dedisset, Laodiceae rhetoricam docuit, patre ibidem docente grammaticam. Unà autem cum illis eodem tempore floruit Epiphanius Sophista gentilis, cui arctissimo amicitiae vinculo conjuncti, ut ab ejus consuetudine abstinere, Theodoro Laodiceo Episcopo illos admonenti parere neglexerunt. Quare cum aliquando Epiphanius hymnum in Bacchi lau-

Socrat. l. 2. hist. c. 46.

Sozom. l. 6. hist. c. 25.

dem publice recitanti adfuerunt ambo, Theodorus graviter hac de re commotus, utrumque publice convictum ab Ecclesia eiecit: erant enim ambo tunc temporis clerici, pater quidem presbyter, filius vero lector. Sed aliquantò post, acta poenitentia, iterum à Theodoro suscepti sunt, & in gradum suum restituti.

Addit Sozomenus, illos postea à Georgio Theodoti successore denuò Ecclesia pullos fuisse, eò quod Athanasium, mortuo Constantio, Alexandriam redeuntem, & Laodicea transeuntem adiissent, & cum eo communicassent, & hoc faciendo, ut putabat Georgius Omonianis insensius, contra regulas legesque ab Episcopis latus peccassent. Scribit verò Socrates eos non à Theodoro, quem vult tantum illis Epiphani conforio interdixisse, sed à Georgio communione multatos esse propter Epiphani consuetudinem, in quam ita sese immerferant, ut ab ea avelli nequiverint. Quod factum iniquissimè tulit Apollinaris filius, indeque occasionem, sophistica dicendi facultate fretus, sumpsit fabricandi novam haeresim illam, quae ab eo nomen accepit. Imò dixerunt aliqui, teste eodem Socrate, Apollinares ex Georgii circa fidem inconstancia, cum filium Patri modò similem, modò dissimilem diceret, sumpsisse occasionem ab eo discedendi, nova dogmata comminiscendi, & inducendi novam quandam religionis speciem.

Ibid.

Lib. 2. hist. cap. 46.

Ibid.

§. II.

Quantae Apollinaris filius, de quo solo deinceps mentio fiet, antequam in haeresim laberetur, apud Catholicos ob doctrinam, pietatem ac virtutes, estimationis fuerit, testatur aequalis illius Epiphanius in haeres. 77. quae est Dimocritarum seu Apollinaristarum, & in qua sic ait num. 2. *Egregius ille ac venerabilis senex, quem nos, & beatae memoriae Papa Athanasius, imò verò Catholici omnes unice dileximus, Apollinaris Laodiceus hujus dogmatis auctor, ac propagator, &c. Et num. 24. Non mediocrem litterarum scientiam fuerat ille (Apollinaris) consecutus, cum & humanioribus graecisque disciplinis esset excultus, & dialecticam, ac sophisticam artem imprimis calleret; esset idem porro praecipua in omni vita gravitate praeditus: imò verò & orthodoxis omnibus, antequam istiusmodi dogma proponeret, longè charissimus. Quin etiam & exilium sustinuit, quod Arianis assensuri nallet. Quanta autem volumina conscripserit, conjicere fas est ex S. Basilio epistol. 74. Alter ex illis, inquit, de quibus vos admonemus, est Apollinaris, haud parum & ipse Ecclesias contristans: facilitati namque scribendi, qua per occasionem ad quosvis irrepsit conjunctam habens sufficientem linguae facultatem, orbem libris suis replevit. Idem Hieronymus expressè significat.*

§. III.

Apollinarium Laodiceae Episcopum fuisse, disertè asserit Hieronymus in Catal. Scriptorum Ecclesiasticorum in Apollinarium: *Apollinaris, inquit, Laodiceus Syriae Episcopus, patre presbytero, magis grammaticis in adolescentia operam dedit: & postea in sanctas Scripturas innumerabilia scribens volumina, sub Theodosio Imperatore obiit. Cum Hieronymo citantur etiam Rufinus lib. 1. hist. cap. 20. & Liberatus in breviario cap. 3. Præterea infra synodicam epistolam ab Alexandrina Synodo ad Antiochenos scriptam anno 362. quae extat inter S. Athanasii opera, legitur: Aderant (Alexandrinae Synodo) aliquot monachi Episcopi Apollinaris, in hoc ipsum missi.*

Theodoretus Apollinarem facit Antiochenum Episcopum eo tempore, quo duo jam erant Antiochia orthodoxorum Episcopi, Meletius scilicet & Paulinus: *Duas, inquit, in partes divisi erant apostolice doctrinae propugnatores. Et alii quidem, statim post insidias in magnum Eustathium structas, & arianam perfidiam detestati, & seorsum convenus agentes, Paulinum Antiochensem habebant. Alii verò qui post ordinationem Euzoi, unà cum praestantissimo Meletio sese ab impiis secreverant ... sapientissimo Doctore Meletio regebant.*

Lib. 5. hist. eccl. c. 3.